DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES WILSON,

ANGLO-BRITANNUS.


Soc. Reg. Med. Soc. Extraord.

ITEM

Soc. Phys. Edin. Soc. Honor.

NEC NON

Soc. Nat. Studios. Soc.



Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

MDCCLXXXV.

Reverendo admodum

ROBERTO MASTER, S. S. T. D.

De Croston, in Comitatu Lancastriensi,

Pietate, munificentia, ingenio, et doctrina,

Viro maxime spectando,

Ob innumera, quibus se suosque nunquam non affecit,

Beneficia ;

Item,

Viro Reverendo,

CAROLO CHARLSWORTH,

De Offington, Prope Newark,

Virtutum ergo,

Et,

Qua se, pariter ac consanguineos suos,

Dignatus est,

Amicitiae ;

Nec non,

Fratri suo, optimo, dilectissimo,

THOMÆ WILSON

De Louth,

Arte salutifera peritissimo,

Ob singularem morum comitatem,

Omnibus qui norunt,

Caro, spectato.

Consilio, favore,

Et,

Quamplurimis amoris fraterni documentis,

Sibi devinctissimo ;

Has studiorum primitias

D. D. Dq.

Mr. Jaffray, with best Comp.e

from his obt. Servt

Wilson

DISPUTATIO MEDICA,

INAUGURALIS;

DE

DYSENTERIA.

ANTIQUI medici per vocem δυσεντερια plures inteſtinorum morbos quam hodierni intellexerunt: Ea, ſcilicet, Hippocrates et Galenus exulcerationes et omnigenos per inteſtina fluxus ſignificabant. 'Intus,' inquit Celſus, 'inteſtina exulcerantur *;' et Ætius, 'dyſenteria proprie ulceratio eſt inteſtinorum ſerpendo depaſcens †.' At noſtrum erit id morbi genus tractare, quod apud noſtrates et recentiores medicos ſub hoc nomine deſignari ſolet.

Mihi definitiones ſingulas a cel. Noſologis propoſitas intuenti, et inter ſe conferenti, ea omnium accuratiſſime hunc morbum definire videtur, quae ab illuſtr. Culleno ſic tradita eſt.

A DEFI-

* Vide Celſum (Au. Corn.) de Medicin. Rotterd. 1750. Cap. 15.

† Ætius Amid. Med. fol. Baſ. et Lugd. 1549.

DEFINITIO.

'Pyrexia contagiosa; dejectiones frequentes, mucosae, vel
'sanguinolentae, retentis plerumque faecibus alvinis, tormina,
'tenesmus *.'

ENARRATIO SYMPTOMATUM.

Dysenteria cum horrore aliisque pyrexiae symptomatis manifestis saepe ingruit: Saepius autem tormina, vel intestinorum molestiae initio occupant, dum adhuc levis, aut parum observata, pyrexia subest †; quae tamen postea plus minus vehementer increscit. Alvus compressa multo flatu distenditur. Frequens desidendi cupiditas et tenesmus exercent aegrum; et quoties desidet, exiguum faecum naturalium; sed potius mucus, cum sanguine frequenter mistus, excernitur, et quae descendunt faeces in *scybala*, seu-globulorum speciem, induratae sunt ‡. Saevissima ventris tormina dejectionibus praecurrunt; sed aliquid percipitur levaminis, ipsaque desidendi cupiditas sublevatur, post sedes, quibus duriora stercora, aut naturaliter, aut medicamentis, expelluntur. Crescente malo, dejectiones evadunt crebriores, tormina ac tenesmus intenduntur; et his omnibus anorexia, et saepe nausea vomitusque accedunt.

Symptomata jam memorata fere perpetua sunt, cum aliqua tamen varietate in variis aegrotantibus. Pyrexia interdum est inflamma-

* Ill. Cull. Syn. Nos. edit. quart. Ed. 1735. † Sir J Pringle, Dis. Army, Ed. 1764; Hoffm. T. 2.; Ed. fol. Genev. 1740, sect. 2. Cap 7. p. 152.; Sydenh. Op. Univ. Lugd. 1726, cap. 3. p. 179. ‡ Clegborn, Dis. Minorc. p. 253.; Hillary on Air, p. 217.

inflammatorii generis, cum pulſu frequente, duro, et ſubinde pleno: Interdum tertianae ſpeciem induit; et ſaepe quidem ad indolem typhi, notas putredinis ſummaeque debilitatis prae ſe ferentis, vergit. Doct. Akenſide febrem ſaepius abeſſe prorſus aſſeruit *: Contra aequalis huic medicus Ill. Baker ſe rarius dyſenteriam ſine febre vidiſſe teſtatur †. Plurimique magni nominis auctores eam pro febrili morbo habuerunt. Et revera febris aliqua, ſeu pyrexia, totum decurſum comitari ſolet, ubi morbus cito morte finitur. Sed in aliis caſibus remittit, aut fere evaneſcit, inteſtinorum malum diutius permanſurum poſt ſe relinquens. Quod reddit alvus id admodum variat in variis, plerumque autem ſolito magis graveolens eſt. Ut plurimum mucoſum eſt, et ſaepe interſtinctum vel omnino imbutum ſanguine; qui aliquando etiam ſincerus manat, et levamen affert, modo non immodica fuerit ejus copia ‡. Interdum materies mucoſa ſine ſanguine dejicitur; unde nomina dyſenteria alba, et morbus mucoſus a quibuſdam medicis impoſita. Saepenumero pelliculae membranaceae, aut moleculae ſevum referentes in ſedibus apparent §. Alias moleculae carnoſae, vel demum faeculae loturis carnium non abſimiles, et plerumque teterrimum odorem ſpirantes, excernuntur ||. Solent etiam vermes per os et anum, malo interdum omine, proſerpere ¶. Tormina vehementius affligunt eos, quorum alvus diu compreſſa fuerit. Jam dictum eſt naturales faeces parcius excerni; et hoc quidem longe frequentius accidit: Sed nonnullis caſibus diarrhoea ſub initio

* Akenſide, comm. de dyſ. p. 4.

† Baker de catarrh. et dyſent.

‡ Sydenh. Op. Univ. p. 180.

§ Degner. de dyſent. p. 19. cap. 1. § 17.; Fernel. de morb. univ. Lugd. 1645, l. vi. cap. x. p. 274.

|| Barthol. hiſt. 65. cent. ii. p. 288. Hafniae Ed.

¶ Ill. Pringle, lib. citat. p. 236.; Degner, l. citat.; Huxham de aere, &c. Vol. ii. p. 105.; Monro Diſ. Army, Lond. 1764, p. 62.

tio fuit obfervata *. In primis morbi diebus de cardialgia faepe conqueritur aeger. Amarus in ore fapor, et poft cibos fumptos ventriculi dolor, fubinde fentiuntur. Materiae flavefcentes, vel fubrubrae, vel etiam in deplorato morbo purulenta fanies, aut alvi excrementa rejiciuntur †. Lingua aut muco obducitur, aut, quod frequentius incidit, nigra eft et arefacta. Urina parca cum dolore redditur; et nonnunquam gravior fubeft ifchuria. Eft ubi delirium cum lethargo incipientem dyfenteriam comitatur ‡; quibus quoque malis in pueris quandoque accedunt convulfiones cum fenfuum privatione. Flatus moleftias excitant, tormina intendunt, et interdum tympanitidi ortum praebent §. Nonnullis, et praefertim pueris, anus finem verfus morbi procidit §. Si non cito fuccurritur, haec omnia in pejus ruunt. Sitis inexplebilis fit. Somnus ex toto fugit. Pulfus citatiores, debiliores, fubinde intermittentes, micant. Accedunt fubfultus tendinum, et convulfiones, et delirium. Sudores gelidi erumpunt, dum inftar marmoris extrema frigent, pallente fimul vel livefcente vultu. Interea multis fauces, et exinde totus alimenti tubus, aphthis obfidetur. Faeces putridi odoris, infcio aegroto, dilabuntur. Animi defectione fubinde corripitur, et ceffante demum, qui cruciaverat, dolore, gangraena inteftinorum fcenam lugubrem claudit.

CADAVERUM SECTIONES.

Eorum, qui hoc morbo interiiffent, inteftina, praecipue colon et rectum, conftricta, inflammata, ulcerata, nigra, fuere inventa.

* Pringle lib. citat. p. 235. † F. Plater obf Bafil. 1641. p. 875.; Baker lib. cit. p. 19.; Akenf. lib. cit. p. 15.; Mead. mon. et praecept Lond. 1751. p. 112. ‡ Zimmerman fect. 1. § p. 7. § Pringle dif. arm. p. 240. || Nof. meth. Sauvag. ed. quart. Amft. T. 2. p. 326. Akenfide, p. 17.

venta. Aliis in cadaveribus tunica villosa vel destructa, vel in materiam putridam, et quasi mucosam, mutata; in aliis autem naturalis, visa fuit. Quaedam corpuscula, albida, conferta, quae maxime inferiores partes, instar variolarum, obsidebant, detecta fuere *. Ubi gangraena formam et compagem partium non ex toto solverat, magna portio crassorum intestinorum valide constricta apparuit †. Hoc praeclari Culleni dictum cadaverum sectiones comprobant. Quinimo memoriae traditum est 'intestina 'aliquando plane coalita fuisse, instar eorum, qui sumpto perie-'runt veneno ‡.' Ill. Pringle quoque rectum praeter naturam contractum animadvertit ||. Caeterum ex posterioribus observatis, huic rei lux clarior affulsit. Dom. Wollaston in epistola ad Illust. Baker sic scribit. 'Intestinum caecum aëre disten-'tum; colon vero totum et rectum mire contractum; adeo 'ut hujus vel illius intestini diameter nusquam tres quartas 'pollicis aequaverit; quibusdam in locis etiam in molem mi-'norem contracta.' 'In altero cadavere,' inquit idem, 'par-'tem reliquam coli arcte contractam invenimus, ut et rec-'tum §.' Ingeniosus Stark, qui sedulam dedit operam in dysentericorum investigandis intestinis, multa de hac re in medium protulit. Ilei portionem, tres pedes longam colo proximam, externe livescentem, hinc inde ex vasorum dilatatione rubram, et diametro pollice majorem: Reliquum tenuium tractum, praeter jejuni supremam partem, diametro minorem semi-

pollice,

* Pringle dis. Army, p. 246. Roederer de Morb. Mucos. sect. § p. 7. Monro dis. Hospit. p. 64. et seq. Cl. Monro's in praelect. Cleghorn's dis. Minorca. p. 264.

† Cl. Cullen's practice of Physic, p. 111. T. 3.

‡ Hoffm. T. 2. sect. 2. cap. 7. § x. p. 253.

|| Pringle lib. cit. par. 3. cap. 6. p. 253.

§ Baker de Catarrh. &c. p. 44. 47.

pollice, recto in rugas contracto, invenit; et in aliis diversas intestinorum partes constrictas vidit *. Hic quoque liceat sectiones medici solertis Wardrop coram societate medica paucis abhinc annis recitatas memorare. Plurium intestinis attente examinatis, tenuia pariter et crassa inflammata, horumque praecipue diametron mire contractam, invenit. Imo tanta erat contractio, ut nodosa apparerent.

DIAGNOSIS.

Signa modo relata dysenteriam forsitan ab aliis quibuscunque morbis distinguere valent: Pauca tamen proferre non alienum erit, quo dilucidius et certius diagnosis stabiliatur. Fuerunt qui diarrhoeam pro leviore gradu dysenteriae habuerunt: At mihi persuasum est, hos morbos multum inter se differre, et sententiam nostram sequentibus argumentis tueri licet. Diarrhoea nunquam ex contagio ortum ducit: Id plurimi testantur; quamvis aliter sentiant nonnulli, eo forsitan adducti, quod haec saepe epidemice grassetur. Sed hoc remotis diarrhoeae causis, et subitis coeli mutationibus, tunc magis dominantibus, potius tribuendum videtur. Febris primaria diarrhoeam raro, dysenteriam fere semper, comitatur. Quantum ad alvi dejectiones pertinet, in his quoque insigne discrimen cernitur. *Scybala* perraro in diarrhoea excernuntur; in dysenteria saepissime. Quinetiam cruor, muci copia major, cum faecibus admodum graveolentibus commista, et tormina plerumque saeviora, dysenteriam a diarrhoea secernunt.

Cholera vomitione impensa, dolore, ac anxietate circa praecordia, gravioribus, nec non surarum spasmatis, dignoscitur.

Haemorrhoidem inter et dysenteriam diagnosi vix opus est.

PROG-

* Thes. inaug. de hist. et dissect. Dysentericor. Lugd. 1766. passim.

PROGNOSIS.

Finitur plerumque hic morbus inter ſeptimum et decimum quartum diem *: Aliis vero malis originem praebere ſolet, ut puta diarrhoeae pertinaci, vel lienteriae, hydropi, epilepſiae, maniae, vel demum febri hecticae ex abſorpto pure, vel quod puri ſimile ſub decurſu dyſenteriae per inteſtina excerni obſervatum fuit †. Eſt igitur medici prudentis, priuſquam eventum praeſagiat, animo revolvere, quantum a ſeipſo, quantum ab aegroto, pendeat. Verum, aere puro, attentione ſedula, et medicamentis tempeſtive adhibitis, morbus plerumque profligatur: Ejuſque finis citius aut ſerius expectandus eſt ſecundum vires contagionis, robur habitumque aegri. Hic obſervare licet, quod mulieres uterum gerentes, ſi hoc morbo corripiuntur, abortu atque inde haemorrhagia, quandoque lethifera, periclitantur §. Spem praebent dejectiones minus frequentes, ſed magis copioſae, ſitis levior, et calor propemodum naturalis: Itemque ſudores per ſummum corpus diffuſi; remiſſio doloris; flatus abſque faecibus erumpentes; urina ſine dolore reddita: Haec omnia felicem exitum pollicentur. Quibus ubi accedunt cibi cupiditas, pulſus ſedatus, et ſedes quod ad colorem et ſpiſſitatem pene naturales, res in vado eſt. Contra, periculum ſubeſt, ſi teneſmus urget, dum tamen venter parum vel nihil reddit; ſi tormina intenduntur, et pulſus debilior fit vel intermittens, cum lingua aut nigra aut aphthis ſordida ||; et dyſuria ¶: Ad haec, ventriculi, abdominis,

* Cl. Home, Princip Med. p. 3. pag. 155. † Roederer, lib. cit. ſect. i. § ii. p. 8.; Schenckius Obſerv. Med. Lib. iii. Obſ v. de Dyſent. § Haller, Diſputat. ad Morborum Hiſt. &c.; Luſan. 1757, p. 392. vol. 3. || Zimmerman on Dyſentery, p. 175. ¶ Akenſide, Comm. de Dyſen. p. 29.

dominis, vel crurum intumescentia; nausea sive vomitiones cum dolore conjunctae; extremorum frigus; vultus livor; sudores frigidi, mortem denunciant: Quam demum doloris jam antea vehementis subita cessatio, vel syncope, in propinquo esse testantur *.

CAUSAE REMOTAE.

Has omnes in praedisponentes ac occasionales distribuere expedit.

DE CAUSIS PRAEDISPONENTIBUS.

De origine dysenteriae parum convenit inter medicos. Ætiologia morborum nunquam non difficilis; hujus vero tenebris praeter solitum densis est involuta. Quae causae tamen magis cognitae sint, aut probabiles, eas, qua juvenem inexpertum decet modestia, breviter exponam. Ineunte autumno, maxime si fervidam aestatem pluviae frequentes exceperunt, incipere solet †; aliquando tamen mensibus aestivis exoritur, se longe lateque mox pandens. Adventu hyemis fere desinit, et intra suum alveum se condit.—'Quin et circa veris ingressum,' inquit Hippocrates Anglus, 'forte etiam maturius (si nempe aura 'calidior, intemperantiori gelu, derepente soluto, mox superve'nerit) plures aliquot incessere ‡'. Omnibus etiam anni temporibus sporadice occurrit; sed maxime tunc lethifera est, ubi fervidissimas

* Lommii Observ. Medicin lib. 2. p, 187 1752, Ed. † Rutty on the Weather and Seasons, p. 232. ‡ Sydenh. lib. cit. p. 178. cap 3.

fervidiſſimas tempeſtates excipit. Graſſatur in omnes cujuſcunque aetatis habituſque; ſed tentationibus ejus opportuniores ſunt, qui aut male veſtiti ſint, aut cibis tenuioribus et parum idoneis veſcantur *, quive variis ac ſubitis coeli mutationibus objiciantur: Hinc Æthiopes in Occidentali India degentes ea ſaepe graviterque laborant. Patent quoque huic affectui, qui ſub Jove frigido humidoque, ſolis fervorem antea perpeſſi, verſantur. Pauperum tabernis quam civium potentiorum domibus, infantibus quoque et teneris quam adultis, infeſtior eſt †. Quinetiam qui corpore molliore praediti ſunt ‡; qui infirma valetudine laborant §; aut animi perturbationibus ‖ ſaepius agitantur; hi omnes, prae robuſtis et duris, inſultibus ejus objiciuntur, et gravius afficiuntur. Quidam contendunt eos huic morbo potiſſimum obnoxios eſſe, qui frugibus immaturis utuntur. Huic autem ſententiae adverſantur gravium virorum auctoritas et experientia: Ex quibus cl. Baker haec verba habet; 'quicunque fructus aeſtivos aut autumnales immodice aſſumpſerant, vel nulla tentabantur dyſenteria, vel, ſi tentarentur, leviſſime aegrotabant ¶.' Alii opinantur dyſenteriam ex iiſdem cauſis, queis febres intermittentes et remittentes, eodem anni tempore valentes, ortum ducere. Sydenhamus dyſenteriam eſſe febrem dominantis tunc tempeſtatis ſe in inteſtina vertentem **, et per eadem viam ſibi aperientem, putavit; in hanc ſententiam, quippe parum accurata obſervatione inniſam, concedere non poſſum: Nam, ſi miaſma paludum dyſenteriam un-

B

quam

* Roederer, lib. cit. p. 28.; Hillary on air, &c. 206. † Hoffm. lib. cit. ſect. ii. cap. vii. § vi.; Degner, lib. cit. p. 29. ‡ Huxh. de Aere, &c. in Praef. Vol. ii. p. 15. § Cl. Home, Princip. Medic. p. 156. lib. ii. § ii. ‖ Degner, lib. cit. p. 81. et ſeq.; et Roederer de Morbo Mucoſo; Goetting, ſect. i. § 8. p. 30. ¶ Degner, p. 76.; Cl. Baker de Catarrho et Dyſent. p. ; Willis Oper. Omn. Amſt. 1732. de Med. p. 48.; Zimmerman, lib. cit. ** Sydenh. p. 45.

quam produxiſſet, ibi quoque plus minus adeſſe debuerat, ubicunque febres prius nominatae graſſarentur.

DE CAUSIS OCCASIONALIBUS.

Frigus et contagium inter cauſas dyſenteriam excitantes ab omnibus fere medicis enumerantur. Saepe quidem a ſola vi frigoris originem traxiſſe videri poteſt. Sed, me judice, id tantum contagii actioni corpus magis obnoxium reddit. Omnibus bene notum eſt, frigus cum humore junctum perſpirationem minuere, et exinde, ob conſenſum qui cutem inter et inteſtina intercedit, excretionem alvi augeri. Sic autem diarrhoea fiet, quae quam longe diſcrepet a dyſenteria jam ſupra dictum eſt. Nondum ſatis compertum eſt, an contagium ſponte de integro oriatur, an prius exiſtens, at latens, fervoribus diu continuatis in actionem cieatur. Neque facilius forſitan dici poteſt ex quo fonte proveniat, utrum ex materiis putridis via inteſtinorum, abſorbentium vaſorum, aut pulmonum, in corpus receptis; an potius in ipſo corpore generetur. Hunc nodum ſolvere prorſus nequeo: Haud abſimile tamen videtur, fomitem per ſingulas has vias intrare poſſe. Quod ſi objiciat aliquis, hunc morbum non ſemper ex contagio oriri, illa potiſſimum ratione adductus, quia, ſcilicet, interdum ſporadice occurrit; reſponderi poteſt, originem mali propterea ſaepe latuiſſe, quia medicus non quaeſivit; et nullus dubito quin plerumque detegi poſſit, modo medicus et aeger attentius ad id animos advertant. Zimmermannus, qui maxima cum diligentia hanc rem tractavit, copiae et qualitati bilis multum tribuit *: Et tempus quidem quo dyſenteria ſaevit uberior

* Zimmerman, l. c. cap. 2.

uberiori ejus secretioni favet, et forte vires etiam auget: At hoc bilis vitium, cholerae, quam symptomata longe diversa comitantur, originem praebet. Debilitatem autem intestinorum forte inducendo, nec aliter, bilis huic morbo corpus opportunum reddit.

CAUSA PROXIMA.

Diversae fuere opiniones de hac re propositae, quas omnes expendere nec tempus nec vires sinunt. Plurimi medicorum materiam acrem in intestina ingeri, vel ibidem generari, putaverunt, quae auctum eorum motum peristalticum efficeret, sedes frequentiores, atque omnia morbi symptomata constitueret. Haec autem sententia observationibus minime comprobatur. Solent enim acria, et quaecunque vim putrescentem habent, diarrhoeam copiosam excitare. Faeces autem in dysenteria rarius parciusque, et sub forma scybalorum, uti supra dictum fuit, excernuntur; quod ex remora diutiore in coli cellulis solum accidere potest. Ill. Pringle casum memoravit dysenteriae post odorem sanguinis putrifacti naribus inhalatum ortae. Notandum vero est hominem, cui malum id contigit, leviter exinde aegrotasse. Quumque auctor nos incertos relinquat, morbusne sic excitatus contagiosus esset, et cum scybalorum dejectionibus stipatus, haud vitio mihi verti potest, si dubitem, an vera fuerit dysenteria. Et verisimilius quidem videtur exemplum id fuisse diarrhoeae, utpote quam saepissime putrida ingesta faciant, et dejectiones sanguinolentae nonnunquam comitentur. Quae contra cel. Pringle, eadem forsitan argumenta contra Dom. Perrault valere possunt; qui, scilicet, affirmavit se dysenteriam plus semel a sectio-

ne cadaverum putridorum contraxiſſe. Aliam longe doctrinam tradit venerandus praeceptor meus, ſectionibus cadaverum, ſymptomatis ipſis, et curationi, quae jam feliciter inſtitui ſolet, conſentaneam. Videtur igitur proxima dyſenteriae cauſa, ſaltemve praecipua pars ejus, in colo inteſtino praeter naturam conſtricto conſiſtere; hinc diuturnior faecum naturalium in ipſius cellulis remora; hinc motus ſpaſtici torquentes, ad extremum rectum uſque propagati, et molimine frequenti, ſed inani, mucum exprimentes.

METHODUS MEDENDI.

In curatione hujus morbi duo conſilia inſtitui poſſunt:

1*mo*, Spaſmos inteſtinorum levare, et in his contenta elicere vel corrigere.

2*do*, Irritabilitatem inteſtinorum minuere, iiſque et toti corpori tonum reddere.

Si morbus ſignis inflammationis, videlicet, pulſu pleno, valido, et veloci, calore aucto, doloribus inteſtinorum quam maxime urgentibus, ſtipetur, et praecipue ſi aeger pleno habitu ſit, vel victui lautiori aſſueverit; tunc neceſſe erit venam ſecare: Idque oportebit aliquando facere, ubi dolor vehementiſſimus eſt, etiamſi pulſus parvus et vacillans fuerit. Cl. Monro hac methodo proſpero cum ſucceſſu uſus eſt, poſteaque pulſum pleniorem eſſe invenit. Ex aegri conſtitutione, morbique vi et duratione, et ſanguinis jam detracti conſpectu, medicus judicare debet, utrum ſanguinis miſſio iterari debeat, necne *.

Si

* Hillary, l. c. p. 209.

Si cel. auctorum experientiae credamus, cathartica post venaesectionem sedulo adhiberi debent; et horum quidem bene multis medici utuntur: Sed notandum est, mitiora longe praestare, et praecipue si indicia motus abnormis in corpore apparent. Sal Glaub. et Sal cathart. amar. a Zimmermanno et aliis multum laudantur; quae possunt etiam tuto adhiberi, si cruor in sedibus descendat. Nam materias ex intestinis, quae fluxum sanguinis augere solent, leniter movent; et vi sua antiseptica proclivitati ad putredinem corrigendae apta sunt. Cathartica acriora tormina intendunt, inquit Huxhamus, et aegrum multo debiliorem reddunt.

Tamarindorum fructus laudibus cumulatur, quod leniter alvum solvit, et tormina sedat, imo interdum ex toto levat. His ex aqua decoctis crystalli tartari adjungi possunt, quarum etiam drachma, vel per se vel rheo mista, ter quaterve indies commode adhibetur *.

Magna fuit apud plurimos rhei existimatio et frequens usus; non desunt autem medici, iteratis observationibus edocti, qui asserunt id inutile esse, neque quid commodi ex eo provenire, nisi medicamento alicui efficaciori vel magis idoneo conjunctum fuerit. En verba Sydenhami, ‘ nisi mannae aliquid, aut syr. ro-‘ sac. vel aliud ejusmodi, ea quantitate admisceatur, ut ad ple-‘ niorem catharsin adsurgat, in dysenteriis curandis non admo-‘ dum conducit †.’ Vi etiam astringente gaudet; ergo, malo incipiente, alienum est. Effectus leves vel nullos edit in subigendo morbo; interea tormina plerumque intendit ‡, nec numerum dejectionum minuit. Quamobrem praecl. Cullenus id primis morbi stadiis ex toto prohibet. Pari tamen ratione, qua maturior ejus exhibitio noceat, finem versus morbi, ubi,

caeteris

* Zimmerman. l. c. p. 54.

† Sydenh. l. cit. p. 183.

‡ Clark, l. c. p. 229.; Rhodius in Lud. Septal. Patav. 1652, p. 474.

caeteris levatis malis, alvus nimis lubrica unice relinquitur, auxilio esse potest *.

Oleum ricini, cum leniter fere et certe alvum solvat, commode adhibetur, modo ventriculus id facile ferat ; sin autem, ut saepius accidit, nauseam vel vomitionem excitat, ad alia confugiendum est.

Enemata quoque, tormina ac tenesmum levando, huic consilio respondent : Oportet autem ea leniter et gradatim injicere, causa irritabilitatis auctae. Quocirca Baglivius 'clysteres,' inquit, 'copiose praescripti quandoque exacerbant morbum, et, 'ulceratis intestinorum fibris, majorem orgasmum excitant. 'Dentur igitur rarius, et in parva copia †.' Ex variis fluidis componi possunt, scilicet, ex aqua modice calida ‡, jusculis, aut lacte, in quibus amylum, cera, sem. lini, et similia fuerint decocta.

Ubi tenesmus maxime urget, demulcentia et enemata antiseptica, e decoct. cortic. Peruv. et fl. cham. parata, saepe in die injicienda sunt. Eodem tempore quo haec administrantur, fotus quoque toti abdomini admoti juvant ; flatus enim expellunt et tormina levant. Opiata in fomentis adhibita aliquid levaminis afferunt ; usus autem eorum anceps est. In hunc finem fl. cham. ex lacte decocti, unguento quovis emolliente simul in abdomen illito, multum prosunt. Æger quoque balneo tepido uti debet ; nam quandoque symptomata omnia levasse dicitur §.

Emplastra ex variis gummi facta, et abdomini applicata, laudantur ¶. Forte autem nihil praestantius est vesicatoriis, quae, Tissoto auctore, anxietatem minuunt et dejectiones minus frequentes reddunt.

Ad

* Clark, loc. cit. † Baglivi Op. omn. lib. 1. p. 109. ; Zimmerman. lib. cit. p. 248. ‡ Rhodius in Septal. lib cit. p. 475. § Pringle's Dis. l. c. ; Zimmerman. l. c. ¶ Degner, lib. cit. p. 137.

Ad ultimam hujus consilii partem exequendam diluentia et demulcentia sedulo adhiberi debent. Infusum fl. cham. affatim epotum dolores sopit, et alimenti ad putredinem proclivitati obstat. Emulsio communis et Arabica felici cum successu dari possunt; neque dissimiles praestant effectus decoct. hord. oryzae, et pulli gallinacei *.

Ad hoc quoque consilium fructus maturi conferunt, quippe qui nonnunquam, uti fertur, in pessimis dysenteriae casibus aegrum, jam alia quaeque respuentem, ex orci faucibus eripuerint †.

Diaeta talis esse debet, qualis nec multum faecum alvinarum praebeat, nec corpus vehementer stimulet. Plantis, et lacte recenti aut ebutyrato, nutriatur aeger; prohibito simul omni potu fermentato. Sed pomaceum et gratum et utile ‡.

Emetica in multis dysenteriae casibus votis respondere possunt, scilicet, ubi adsunt nausea, ventriculi oppressio, ad vomitionem molimina, et anxietas in praecordiis; quippe quae non solum ex ventriculo, sed etiam ex aliqua intestinorum tenuiorum parte, materias sordidas hauriant. Crassa quoque movent, et vi sua diaphoretica ad levandum hunc morbum conferunt. Si vero medicus serius ad aegrum accersatur, adhuc prodesse possunt, modo ventriculus nausea afficiatur. Ægri viribus et aetati dosis accommodanda est; cavendum autem est ab acrioribus, quae, nimis vehementes vomitiones excitando, malum deterius reddant.

Remedia, quae hoc consilio adhibentur, duo sunt; ipecacuanha, et parata ex antimonio. Ipecacuanhae doses parvulae alvum movent, et modicas vomitiones et liberam per summum corpus diaphoresin excitant; cujus promovendae causa potiones

tepidas

* Huxham de aere, &c. tom. 2. p. 107.; Cels. lib. 3. cap. 15.

† Zimmerman. lib. cit.

‡ Geach's Observ. on Dysent.

tepidas adminiſtrare expedit. Nauſea frequenter tollitur, et ingens ſordium copia per os et anum eliminatur; ſanguinis excretio multo minor evadit; tormina miteſcunt, et dejectiones rariores fiunt *. Aliqui pro ſpecifico hoc remedium habent; Numquid autem praeſtet in levanda dyſentéria, niſi quatenus cum vim catharticam tum emeticam ſimul edat, dubitari poteſt. Ill. Cullenus id tunc utile tantum exiſtimat, cum per alvum vires ejus exſerit. Medicaminum ex antimonio praeparatorum maxime in uſu fuerunt tart. antimonialis ſive emeticus, et vit. antim. cerat. quorum illud efficacius eſſe videtur. Docent quaedam experimenta a Cl. Senac inſtituta, qui, ſcilicet, modicam ejus quantitatem in multa aqua ſolutam magis, quam aliud quodvis auxilium, prodeſſe deprehendit.

Vitrum antim. cerat. diu multumque celebratum fuit †. Ubi febris impetus minuitur, dum tamen ſedes cruore tinctae deſcendunt, cum fructu adhiberi poteſt. Egreg. Cleghorn ſub aurora id ventriculo jejuno praecipere ſolebat; atque exinde, poſt omnia incaſſum tentata, ſedes copioſas, et diaphoreſin liberam cum magno aegri levamine, excitari teſtatur ‡. Quum vero vomitio repetita non neceſſaria ſit, alicui remedio, quod actionem ejus ad inteſtina vel cutem determinare queat, jungi debet; nihil in hunc finem praeſtantius eſt opio, eodem tempore vel paulo poſt ſumpto, praemiſſa vero ſanguinis miſſione, vel medicamentis quae alvum rite purgare poſſint. Sed poſthac de opio dicetur. Poſt id ſumptum, ſorbitiones prohibere ſolent, niſi nixus ad vomitionem adſit, vel ſudores erupturi videantur; praeſtat autem, ut opinor, aquam tepidam ingerere, quae ad ſummam corpus, vel per inteſtina, curſum humorum dirigat.

Proxime

* Akenſide, Comm. de Dyſ. p. 69.

† Med. Eſſ. Edin. T. v. A. 15. p. 162.

‡ Cleghorn's Minorca, p. 249.

Proxime ad ſecundum conſilium tranſeundum eſt. Etſi haec omnia jamjam memorata, medicus ſumma diligentia expertus fuerit; nimia tamen irritabilitas inteſtinorum ſaepiſſime manebit. Et hic opium primam conſiderationem ſibi vindicat. Sed parum inter medicos convenit, quo morbi ſtadio uſurpari debeat. Id Sydenhamus ab initio praebere ſolebat *; et ad hunc uſque diem multi eandem methodum ſequuntur. Contra quidam magni nominis auctores uſum ejus primis morbi diebus religioſe vetant: Et perfecto, ſi vires opii bene perpendamus, facile apparebit, id omnes ſecretiones praeter perſpirationem minuere. Quodcunque autem, incipiente malo, alvum adſtringat, conſiliis medendi omnino adverſatur; ideoque non, niſi gravi de cauſa, permittendum †. In leviſſimis dyſenteriis quidem, ubi parum vel nihil acrimoniae primas vias, leni vel nulla febre ſubſtante, infeſtat, multum praeſtat commodi: Sin autem inteſtina non adhuc exonerata fuerint, plurimum nocebit; praecipueque ſi aegrotus pleno habitu ſit. Equidem fallaces dat inducias tormina compeſcendo, et brevem ſomnum inducendo, ex quo autem experrectus aeger anxietatem atque nauſeam conqueritur, et, faecibus interea accumulatis, omnia in deterius ruunt ‡. Haud abſimile videtur, id quod aliqui crediderunt, plures ab ejus uſu quam malignitate morbi mortuos fuiſſe. Si faeces male olent, vel viſcidae et parva quantitate redduntur; demum ſi catharticis opus eſt, opium erit aut anceps aut alienum. Poſtquam autem primae viae ſatis purgatae fuerunt, nec antea, venit utendum §; et tunc modica ejus doſis veſpere, vel quovis alio tempore,

C

* Sydenh lib cit p. 18.—4: Murraii App. Medic. Vol. ii. p. 275.

† Lond. Med Journal, Tom. ii. p 211.. Young on Opium, Cap. vii.; Zimmerman, p. 64.

‡ Degner. p 182. Zimmerman, p. 205. et ſeq.; Huxh. de Aer. &c. Vol. ii. p. 99.

§ Geache's Obſervat. on Dyſentery, Lond. 1781.

pore, modo tormina urgent, assumatur *. Juvabit huic adjungere parvulas doses rad. ipec. quo certius humores ad summum corpus deferantur.

Adstringentia effectus opii promovent et confirmant; at in horum usu quoque adhibendae sunt cautelae supra positae; nam intempestive sumpta aliquando malum augent. Ex variis id genus medicamentis praestantiora videntur, lign. Campechens. cort. granator.—Querci, rad. columb. terr. Japonic. gum. kino, quorum quibusvis, sub forma decocti, pulveris, aut extracti, prout aegri ventriculus, et medicamenti natura, ferat, uti licebit. Restant adhuc pauca de hoc consilio dicenda. Et in primis, cortex Peruvianus, ubi diarrhoea summa cum debilitate, caeteris dysenteriae signis jam fugatis, unice jam superest, eximios effectus praestat †. Si Petechiae, vel in lingua atque faucibus aphthae, cum magna virium jactura se ostendunt; tunc etiam cum vino mistus plena manu praebendus est. Eodem quoque opus est, siquando febris intermittens dysenteriam comitetur. Expedit etiam tinct. theb. rad. serp. camph.; aut, si alvus ejus usu adstricta fuerit, lene aliquod catharticum cortici Peruviano admiscere.

Huc quoque pertinet cortex Cascarillae, utpote cum diarrhoeam minuat et tonum intestinis restituat ‡.

Cel. Home decoct. verbasci vires in compescenda diarrhoea pertinace plus semel expertus est; idem forte, finem versus dysenteriae, auxilium pollicetur §.

Simaroubae cortex, testantibus Degnero aliisque, egregios in hoc morbo praestitit effectus: Urinam, scilicet, ac sudorem movet,

* Rhod. in Sept. p. 481.; Bonet. Sepulchret. Tom. ii. de Dysent. Obs. xxii. Ed. 1700.

† Phys. et Literar. Essays, Vol. iii.

‡ Degn. lib. citat. p. 165.

§ Cel. Hom. Cl. Facts and Experiments, ed. tert. p. 473. et seq.

movet, ſimul et inteſtina roborat. Si dolores ventris adhuc vexant opio conjungi debet.

Aqua calcis, declinante morbo, laevitatem inteſtinorum corrigit, caeteriſque multis incaſſum antea tentatis, efficax inventa fuit *. Hanc. Ill. Pringelius cum lacte praeſcribebat.

Cel. Collin, libro de virtutibus Arnicae Montanae conſcripto, attentioni medicorum hoc remedium quam maxime commendat ; doleo quidem me librum ipſum nondum obtinuiſſe. Sequentes autem obſervationes ex opere periodico † excerpſi. Aromaticum odorem ſpirat, et vi modice aſtringenti pollet, alvum vero non comprimit, ſed potius ſedes magis copioſas et minus frequentes reddit ; ciborum cupiditatem corporiſque tonum reſtituit. Cl. Auctor eam vi quadam antiſeptica ad hunc morbum depellendum plurimum valere putat ; et in permultis aegris, quorum ſibi mandata cura erat, ex uſu arnicae effectus optimos expertus fuit.

Æger induſio laneo et veſtitu calido munitus exercitatione modica, ſed aſſidua utatur, graviore coelo et nocturno aëre caute evitatis.

Denique, et quantitatis et qualitatis cibi ratio diligenter habenda eſt ‡.

* Phyſic. and Liter. Eſſays, Vol. ii.

† Foreign Med. Review, Vol. iii. p. 3.

‡ Med. Obſ. and Inq. Vol. vi. art. 18.

FINIS.